

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
**AN SVETHIA
PLURES OLIM HA-
BUERIT INCOLAS,
QUAM NOSTRO ÆVO?**

CUJUS PARTEM POSTERIOREM
Consensa Ampl. SENATUS Philos. in Reg. Acad. Aboensi

PRÆSIDE

**M^{AG.} JOHANNE
BILMARK,**
HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.
PRO GRADU

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT
**LAURENTIUS CHRISTIANUS
BJÖRKGRÉN,**

OREBROGIA-SUECUS.

DIE XXII. FEBRUARII ANNI MDCCCLXIX,
Tempore Ante Merid. Consuetudo

ABOÆ Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§. XI.

Eam esse novimus Systematum probabilitum indolem, ut quantumvis speciosis nitantur ratiociniis, attamen si unum alterumve in contrarium adferri possit exemplum, fides eorum vacillet & mole sua sensim corrut. Quum igitur in parte priori nostrae opellae adfamat ostenderimus, quod parum verisimile sit, Svetiam, dulcissimam nostram Patriam, pluribus olim gavisam fuisse incolis, quam nostro aeo; superest nunc, ut Historiae monumenta excutiamus, visuri in quantum ipsa nostrae faveant opinioni, vel eandem forte convellan. Quod si vero singula ad ungvem exsequi nequeamus, quod tamen postulat officium, hoc non nobis, quorum proficiendi ardor est maximus, sed ipsis annalibus, quorum in hoc præsertim negotio insignis est defectus, erit tribuendum. Tentabimus igitur quoisque in salebroso hocce stadio, adspirante benevolentiae Lectorum aura progredi liceat. Notum itaque est, quod primos incolas in Septemtrionales hasce oras duxerit OTHINUS I, FORNIOTHERUS proinde nuncupatus, cuius liberi & nepotes per aliquot secula Sceptrum imperii Svio-Gothici tenuerunt. Originem autem ipsi & concomitans colonia duxerunt a Scydis, quos quam inanis gloriae studio percic-

tus

tus insequeretur Rex Persarum DARIUS HYSTASPIS, ad boreales solitudines ipsi se sensim contulerunt. Quamvis autem non negemus, foecundam admodum fuisse Scytharum Nationem, raros tamen incolas sub tota hac Dynastia Forniothera habuisse videtur Scandinavia. De *HIERO* enim seu *ÆGIRO*, tertio filiorum Othini modo memorati constat, quod Svetiam & Gothiam, densis silvis tunc horridam primus exscindendam curaverit: *ÆGIR* uptog *Svea* och *Götba land*, sicut ex perprisco quodam monumento refert *PERINGSKIÖLDUS* (a). Deinde quum *THORUS*, abnepos Forniotheri misisset filios suos *NOREM* & *GOREM*, ut perquirerent Sororem suam *GOEM* a *ROLFONE* Gigante surreptam, non solum memoriae produnt annales, quod *NOR* vastas transierit regiones, ubi ne vestigia quidem hominum animadvertere potuit, atque feris & avibus confixis vitam per inhospita rura traduxerit; verum etiam quod *GOR* varias terras sibi vindicaverit & nominatim quidem *Uplandiam*, *Dalekarliam*, *Westmanniam*, *Sudermanniam*, *Nericiam* & totam *Gotbiam* (b). Quod quum brevissimo tempore & haud ita magna manu praestiterit, facile praesumi potest, florentissimas has regiones paucitate ciuium tunc laborasse, praesertim quum ne minimum quidem argumentum occupationis violentiae aut hostilis invasionis uspiam appareat. Denique si perpendamus, quod omne initium tenue sit, quod Forniotheri Cives incertis vagarentur sedibus, & minus commodam degerent vitam, quam nostri hodienum Lappones, extra dubitationis aleam positum videtur, Septentrionales terras ista tempestate incolas non admodum multos habuisse. Cui autem sententiae aliquantum repugnare videatur Historia, quæ inscribitur *Origines Norvegiae*, in qua mentio fit variarum provinciarum, quæ jam sub ipso *Gore* eisdem gravissæ videntur limitibus, quibus hodie

ab adjacentibus disterminantur. Enimvero quisquis de-
mum sit auctor hujus Schediasmatis, quem vulgo po-
nunt *ARUM* Polyhistorem illum Islandorum, qui Sæcu-
lo XI vixit, evidens tamen est, tum quod varios com-
mittat parachronismos, sicut ex epilogo tractatus impri-
mis colligitur: tum etiam quod expeditiones Goris &
Noris explicet, habita terrarum suæ ætatis ratione, ut
peregrinationum istarum gyros melius adsequerentur Sui.

(a) Vide *Eiusdem Genealog. Bibl.* p. 15. (b) Vid. *DA-
LINI Hist. Tom I.* p. m. 82. Sub hac Dynastia floruisse
dicitur *DISA*, *FORGUNI* Filia & *SIGTRUDI* Regis
conjux, quæ, aucto civium numero, in medium con-
suluit, ut populus emitteretur, & quisque Civium emi-
grantium secum sumeret securim atque chirotecham, fru-
mento repletam, terramque ita excolerent; quæ, si vera sint,
inopiam victus & civium produnt. Nec hoc loco pro-
fus erit reticendum, quod Nob. *DALIN* *Libr. cit.* p. m.
63, not. x, ingenioso fatis calculo ostendere nitatur
Svevos, primam Svecorum ad exterios missam coloni-
am ante *OTHINI* II adventum hinc emigrantem, consti-
tisse ad minimum 10000 militum. En rationes calculi.
Sexaginta circiter familiae cum Forniothero in Scandiam
pervenisse ponuntur, quæ spatio 300 annorum vel intra
decem aut duodecim generationes ad 30000 increverunt,
quorum rursus pars tertia 10000 solum vertit & per
Germaniam huc illucque vagata fuit. Enimvero quum
ejusmodi supputandi ratio possibilem fœcunditatem ge-
neris nostri tantum ostendat, posito videlicet, quod nec
bella, nec pestes nec aliae quæcumque calamitates ma-
iores nostros interea afflixerint, huic hypothesi proba-
bilitatis gradus exiguis inest; præsertim quum si succes-
sus calculo semper responderet, evinci poscit, quod ex
unico columbarum pari, intra 4 annos, 14760 progigni

possent; quantum vero multitudinem nemo adhuc obtinuit. Quid? Quod licet numerus civium 30000 sub prima Dynastia ponatur, nondum tamen populosior tunc fuit integra Svethia, quam mediocris hodie provincia.

§. XII.

Dissimulare non possumus, quin auctus aliquantum fuerit numerus Scandianorum ista colonia, quam secum in Septemtrionales oras deduxit *OTHINUS* II, Auctor Dynastæ Ynglingianaæ; de quo scilicet perhibet *STURZONIDES*, quod *multis stipatus fuerit viris*, (a); attamen dum simul perpendimus, quod filii suis, in aliis aliisque terris summam imperii tenentibus, partem haud exiguum suarum cohortum in præsidium concesserit, verisimile est, non ita hoc incremento auctum fuisse civiam numerum, ut in contentionem cum sequiori ævo venire poscit. Et quamvis sub primis familiae Ynglingicae Regibus tranquilla satis halcyonia egerint Sveci; ea tamen non fuerunt instituta, qua propagationi generis nostri inservirent. Primo enim, ut apud alias gentes antiquissimis temporibus, ita etiam apud veteres Svio-Gothos vesana invaluit consuetudo, liberos, qui parentibus minus arriderent, exponendi; quo facto fertilitati conjugiorum multitudo liberorum ex ase non respondit. Deinde quum *OTHINUS* inter alia instituta intraduxerit bellum hereditarium (*Vigarf*), quod partem haud exiguum religionis Gothorum constituit; Principes & juvenes alacriores magno impetu ad orientales terras sese contulerunt, injurias Majoribus suis a Romanis illatas partim ulturi, partim novas commodiioresque sedes sibi quæsitiuri. Hac mente *BERICUS* expeditionem ex Svethia instituit & ad Ulmerugos sese contulit; quantis autem stipatus fuerit copiis, non nisi conjectando adse-

qui licet. Supponit quidem Nob. DALIN 300 familias ex Patriæ gremio tunc fuisse excitas, & quod 12. aut 1500 milites in societatem hujus demigrationis venerint (b); quo admisso, nondum tamen concludere licet, Svethiam tunc incolis abundasse. Interim tamen dum Historici perpenderunt, Longobardos, Alanos, Gothos, Normannos, aliosque populos hac tempestate ex Svethia exiisse, sibi aliisque persuadere voluerunt, Patriam multo pluribus olim gavisam fuisse incolis, quam nostro ævo. Ita quidem censet Cl. Historicus MEZERAI, qui ita scribit? *Ces pays de Dannemarck, de Norvege & de Svede étoient alors extremement peuplés & tous leurs habitans afriandiés au butin s' embarquoient à l'envie pour venir piller des pays riches & fertiles. Enfin il en sortit tant, qui furent tués ou qui s' habituerent en France, que ces vastes terres du Nord en son depouplées jusqu'à cette heure (c).* Sed quis Apollo Scriptori huic in auctem insuraverit, turbines hos virorum, totos quantos, ex Svethia erupisse, ego quidem non adsequor. Profecto si conditionem migrationum olim susceptarum melius cognovisset, & quam ex tenui initio ingentes sub longinquō itinere creverint hominum cohortes, quarum minima pars Auctorum expeditionis patriam viderit, Scandinaviam ista tempestate justo populosiorē non finxit. Nostræ opinioni admodum favet ipse Gothorum Episcopus JORNANDES, qui inter alia perhibet, Gothis morem fuisse, ut *vicinos subjugantes suis applicuerint victoriis (d)*. Ulterius erit observandum, quod sicut Scandiani a Scythis suam duxerunt originem, ita rei pecuariæ ac venationi potissimum studuerint, de agricultura promovenda, quæ certas sedes & jugem postulat industriam, parum fuerint solliciti; quare etiam Historici nostri merito observant, quod sub Gentilismo rara terrarum excultarum vestigia in Septentrione occurant,

currant. Et quum non melior fuerit artium manuaria-
rum conditio, quas tractare a Mayortia sua dignitate
alienum putarunt Hyperborei, patet, quod præcipua vi-
tam sustentandi adminicula sub familia Ynglingica des-
ideraverint Majores: sine quibus tamen non admodum
increscit civium numerus. Quocirca a veritate forte non
aberrabimus, si faciem Scandiae sub OTHINO II. hujus-
que posteris talem nobis sistamus, qualis hodie est Lap-
poniae indoles, quæ densa incolarum agmina nec alit
nec alere potest. Enimvero sicut ambigua momenta in
veteri Patriæ Historia occurunt non pauca; ita senten-
tiae nostræ robur infringere videntur ea imprimis, quæ
de urbe Birca memoriae produnt annales. Sic JACO-
BUS ZIEGLERUS ex antiqua fama vel priscis monu-
mentis edoctus scriptum reliquit, veterem Bircam in
bellum olim armare potuisse 14000 militum (e). Pon-
amus jam, decimum quemvis civium castra fuisse secu-
tum; & numerus oppidanorum fuit 140000. Hoc Zieg-
leri testimonium, quod ad laudem antiquæ Scandiae plu-
rimum facit, adfert etiam MESSENIUS in Sveopenta-
protopenpoli (f). Qui vero curatius rem perpendunt, nec
antiquitatis fascino se capi patiuntur, contendunt Bircam
vel prædium solummodo Regium fuisse (g), vel urbem,
& hoc in casu a veteri Sigtuna non diversam (h). Im-
mo sunt Eruditi, iidemque superioris subsellii, qui exi-
stiment, Bircam Sæculo X demum a Svethiæ Rege
BERONE fuisse conditam & An. 1066 funditus ever-
sam, adeoque parum ultra Sæculum floruisse (i); unde
concludere licet, quod tam brevi temporis spatio ad
tantum potentiaz culmen adscendere vix potuerit. Con-
cedimus equidem successu temporis magis magisque ex-
cultam fuisse Patriam, simulque auctum incolarum nu-
merum, sed quantum per plura Sæcula in utroque pro-
fecerint Majores, vel ex illis colligi potest, quæ de BRA-

UT

UT ANUNDO refert solertissimus STURLONIDES :
*Svonia, inquit, amplissimos tunc habuit saltus, terrasque
incultas adeo multas, ut non nisi plurium dierum itinere
peragrari potuerint. Anundus nulli operi sumtuique peper-
cit, quo inculta excideret excoleretque. Vias quoque per
deserta sterni fecit, multæque tum passim planities repertæ
sunt, quæ amplis territoriis excolendis aptæ erant. Sic
regio probe coli copta est, accidente pariter colonorum in-
dustria (k).* Sed sicut inoffenso pede per tot salebrofa
loca progredi non licet, ita nos retardare videtur testi-
monium *SAXONIS GRAMMATICI*, qui commemorat
in acerrimo prælio, in campis Bravallinis habitu, ex victore
Svionum exercitu occubuisse duodecim Procerum millia,
ex quibus ad frequentiam civium in Patria nostra sub
imperio *SIGURDI RING* facilis est conclusio. Enim-
vero quum *SAXO* pro more suo magnificam potius,
quam veram condiderit Historiam, alii per proceres in-
telligunt præstantes ac fortis viros, qui quum ex inte-
gra Svetia & Norvegia catervatim concurrerint, mirum
non est, tantam, quantam ipse perhibet, fuisse eorum
multitudinem. Adde, quod Historia Hervaræ simplici-
ter dicat, multos viros in utraque acie fuisse (l).

- (a) Vid *HEIMSKRINGL.* Tom. I. p. 5. (b). Vid. *Ejusd. Histor.*
Patr. Tom. I. p. m. 283. (c). Vid. *Abregé de l' Histoire de*
France Tom. II. (d) Confr. *Ejusd. libr. IV. de rebus Geticis &*
BENZELII colleg. Hist. Cap. I. §. II. (e) Vid. *Ejud. Tabul. Geo-*
graphicas, KRANTZII *operi Historico insertas* p. m. 492. A quo
non multum abludit PUFENDORFIUS *in introduct. ad Hist. Sve-*
can. p. m. 63. (f) Vid. *Cap. XVI.* & *Ejusd. Scandiæ Illustr.*
Tom. I. p. 63. (g) Vid. DALINI *Hist. cit. p. m. 243. not y.*
(h) Vid. J. VILDI *Hist. Leg.* p. 42. & 43. (i) Vid. *Rev. Ep:*
GEZELII Chronicon. (k) Vid. STURLONIDIS *Libr. cit. p. 43.*
(l) Vid. *Histor. Dan. Libr. VIII.* (m) Vid. *Hervar. Hist. p.*
m. 180.

§. XIII.

Una cum extincta familia Ynglingica sensim sensinque deforbuerunt crebrae illae expeditiones militares in longin- quas terras pridem susceptae, quamvis admodum probabile sit, quod numerus incolarum interea non decreverit, sed potius increverit. Caussam mutatae quasi in- dolis Majorum hanc suspicamur, partim quod Sveci post introductam Christianam Religionem pristinæ ferociæ cristas depositerint & mitioribus moribus sensim adsyefacti fuerint, partim quod sicut regiones magis ex- coli cœperunt, ita plures quoque habuerint rationes, in avitis commorandi sedibus, quam se suaque omnia fortunæ committendi, & per extrema quævis vitam a- pud exterros trahendi. Interim tamen deprehendimus, quod sub familia Stenkilliana, quæ Ynglingicæ in impe- rium successit, lacertos adhuc moverint Sveci, fortu- nam in dissisit terris experturi. Scilicet memoriae pro- dunt Annales, Helsingos tunc avitos lares reliquissæ (a). An magna haec fuerit hominum emigrantium caterva, non- dum expiscari potuimus: sunt tamen indicia, quæ pro- dere videntur, ipsam satis mediocrem fuisse. Refert enim STURLONIDES, quod Jamtia & Helsingia tem- pore HARALDI PULCHRICOMI, Regis Norvegiae, ex- coli cœperint. Ita enim ille: *þa lygðist Jamtaland oc Helsingaland, oc var þo aður bvarfveggia noccot bygt af Norðmannom*, id est: Tunc Jamtia & Helsingia excoli cœperunt, quæ ambæ regiones pridem aliquantum ex- cultæ fuerunt a Norðmannis (b). Quibus pensitatis, nemo sibi facile persuadebit, quod brevi tempore ita incre- verint, ut incolarum multitudine laboraverint hæ pro- vinciaæ. Deinde commemorant Historici, populos bo- reales ista tempestate morbis contagiosis fuisse vexatos (c); quocirca verisimile est, quod Helsingi, illorum vim evitaturi, longinquis migrationibus sese accinxerint.

Forte etiam sub ipso itinere populi ex aliis regionibus, per quas transitus fiebat, Auctoribus commigrationis, Helsingis, ut solennis tunc mos fuit, sese adjunxerunt; Sed nondum animadverto, magnam hominum nubem sic sedibus suis fuisse excitam. Præterea si numerum copiarum, quas in aciem produxerunt hoc tempore Principes, consideremus, hinc quodammodo colligere possumus, an multitudo civium tunc major fuerit, quam nostro ævo. Dabimus igitur quædam exempla. Sedit tunc ad Guberriacula regni Norvegici *MAGNUS, BARFOTH* dictus, quem etiam ob bellandi ardorem *Bellacosum* nuncuparunt, cuius vero impetum, quum Gothos aggredieretur, aliquamdiu sistit *SVENKE STENARSONIUS*, contractis quingentis admodum militibus (d). Sed quum idem Norvegiae Rex Westro-Gothos subjugare paullo post moliretur, Svethiæ Rex *INGO, STENKILLI* Filius, ad meridionales Patriæ oras sese contulit, tribus millibus militum stipatus (e). Si jam perpendamus, partim quod exigua hæc manus magna cura & adeo lente fuerit collecta, ut ipsi propter mortam insultare non dubitaverint Norvegi, partim quod virorum ac juvenum robora Regem suum in bellorum discrimina sponte sua sequerentur, opinionem insignis multitudinis incolarum vix ac ne vix quidem nobis formare possumus. Sed prævidemus dubium non exigi momenti, licet ex alio capite, contra nostram sententiam formari posse. Scilicet perhibent Annales, sub Dynastia Stenilliana in sola Vestro-Gothia fuisse undecim millia ædium Sacrarum (f); quare quum nostro ævo numerus templorum in ista provincia ad quadrincenta non pertingat, a veri specie non abludit, memoratam saltem regionem olim incolis fuisse frequentiorem. Enimvero præterquam quod multi isthanc narrationem in dubium vocent, & admodum contendant per

totum

¶) II (¶

totum Svethiæ regnum tot modo olim fuisse ædes Sacras (g); attamen si fidem etiam annalibus in hocce negotio habeamus, non sic causa nostra cecidisse judicabimur. Quales enim, quæso, hæ fuerunt ædes? Profecto pleræque satis angustæ, quas opulentiores viri vel feminæ exstruendas curarunt, ut in ipsis Sacra commodius cum familia & amicis peragerent. Quare sicut a multitudinem incolarum nostro ævo quis male argumentaretur; ita præposta omnino foret similis conclusio, habita prisci ævi ratione. Immo tales ædes exstructæ olim fuerunt non propter auctum civium numerum, sed ut salutem æternam per hæc opera promererentur personæ, quæ læsæ etiam humanitatis & neglectæ generis nostri propagationis, quum & possent & debuisserent, postulari potuissent.

(a) Vid. DALINI *Histor. Pac.* Tom. II. p. m. 41.

(b) Vid. STURLONIDIS *Heimskr.* Tom. I. p. 95. (c).

Vid. DALINI *Libr. cit.* p. m. 42. (d). Vid. STURLONIDI^s Tom. II. p. 206. (e). Vid. DALINI *Histor. cit.* p. m.

45. (f). Vid. MESSENI^{II} *Chronic. Episcop.* Cap. 8. p. 71.

(g) Vid. DALINI *Histor. cit.* p. 16. n. a.

§. XIV.

Si Patria carissima sub Dynastia Stenkilliana quoad opes & civium numerum non admodum increverit, simul tamen fatendum erit, quod nec multas nec magnas tunc fecerit jacturas. Sed Svethiæ facies, quæ hactenus simplex fuit, sub Dynastia SVERKERIANA & ERICÆ facta est bifrons, Principibus ex utraque stirpe de summa imperii acerrime contendentibus, & totis in id incumbentibus, ut quisque æmulum, &, quod horrendum dictu est, totam ejus prosapiam e medio tolle-

tet. In his turbis ipsum quoque regnum in binas factio-
 nes fuit divisum, quibus ferventibus, summa imis mi-
 scebantur, & alma felicitas nec sperari nedum obtine-
 ri potuit. Enimvero præstat ex specialibus indicis con-
 ditionem patriæ eruere. Constat igitur, quod Gothlan-
 dia vestigialis loco Regi Svetiæ annuatim tunc dederit
 40 marcas argent. & 20 marc. Jarli Ostro-Gothico, a-
 deoque 60 marcas argenteas, seu 1440 thaleros Ar-
 genteos circiter pro omnibus tributis (8). Unde facile
 colligere licet, celebratissimam hanc insulam tunc
 nec opulentam nec valde populosam fuisse, quamvis
 commerciis, ut tunc erant tempora, floret. Præterea
 in prælio, ad Lenam Westro-Gothiæ commisso, in quod
 Svetiæ Rex SVERKERUS, CAROLI Filius, & Princeps
 ERICUS, Canuti Filius, de summa imperii Svio Gothi-
 ei gravissime pugnarunt, & proinde quascunque possent
 copias contraxerant, ille quidem ex Dania & Bohemia,
 hic autem ex Svetiæ & Norvegia, invenimus in exer-
 citu SUERKERI sedecim millia militum fuisse. Quantas
 ERICUS copias in aciem produxerit, non appareat; atta-
 men vix dimidiari partem alterius exercitus constituisse
 videntur, sicut colligimus ex hybrido illo versu Mo-
 nachali : *Contigit in Lemum, Duo Daniske lupo för*
enum, Af Svenskom Suenum togo dorsum verbere plenum.
 Quocirca ex Svetiæ regno parum ultra 4000 militum
 exercitus comparari potuit, quamvis maryortiis genius in-
 civium pectoribus adhuc micaret; unde sponte sua iterum
 fuit, Svetiam hoc ævo admodum populosam non
 fuisse. Præterea dum perpendimus, quantas pecuniarum
 summas ex afflictis civibus hac tempestate emunixerint
 Pontifices Romani & Sacerdotes, quas partim sollicite
 custodiverunt, partim otio & deliciis consumserunt, &
 rursus consideramus frequentes expeditiones cruciatas sub
 isthac Dynastia in orientales terras suscepitas, facile in-
 duci-

ducimus, ut credamus, miserrimam tunc fuisse Svecorum conditionem, ipsosque ab eo flore alienissimos, qui multitudinem & felicitatem incolarum arguat. De cetero quum in antecedentibus significaverimus varia instituta a Majoribus nostris usu recepta, quæ incremento civium minus faverent, nec hoc loco reticendum, quod sub hac Dynastia latius serperit isthoc malum; siquidem in Concilio Skeningensi An. 1248. habitu, auctoritate Pontificis Romani, cuius Hierarchia in præjudicium imperii civilis invaluit, graviter sancitum, ne Sacerdotes matrimonium amplius contraherent, & qui forte contraxisserent, uxores suas intra anni spatium a se dimitterent. Ita compendia opulentia cum dispendio generis humani querere non dubitarunt feroce Joves Capitolini, Templis potius, vel rectius sibi ignavisque suis aumnis, quam DEo, infervientes. Si jam perpendamus, ordinem sacerdotalem nulli alii vel honorum prærogativis vel dñitiarum copia, vel muleitudine adscriptorum cessisse, eundem vero vesana hac constitutione quasi eviratum fuisse, oppido concludere licet, hoc modo quavis generatione magis imminutum fuisse civium numerum, quam per gravissimum unquam fieri potuit bellum. Sed audiamus quid ipsi censeant Pontificii, qui curatius suos subducunt calculos. Ita vero inter alios Illustr. MONTESQUIEU: *Ce métier de continence a anéanti plus d^r hommes, que les pestes & les guerres les plus sanglantes n'ont jamais fait. On voit dans chaque maison religieuse une famille éternelle, où il ne naît personne, & qui s'entre tiennent au dépens de toutes les autres. Ces maisons sont toujours ouvertes, comme autant de gouffres où s'engouffrent les races futures. Cette Politique est bien différente de celle des Romains qui établissaient des loix pénales contre ceux, qui se refusaient aux loix du mariage & voulaient jouir d'une liberté si contraire à l'utilité publique (b).*

(a) Vid. *Addit. ad codic. Gotbl. cap. 2. p. m.* 49. (b)
Vid. *Lettres Persanes p. m.* 264.

§. XV.

Quia usi sumus in dagine in æstimanda incolarum Svethicorum multitudine sub prioribus Dynastiis, eandem quoque sub familia Folkungica sequi fas erit. Dum igitur Fulmen illud belli, regnique Administrator, BIRGERUS JARL, Regi Daniæ CHRISTOPHERO bellum, quod inter gravissima ejus temporis est habitum, indixisset, in aciem produxit quinque admodum millia militum, qui certe non viritim lecti, sed potius undique congregati fuerunt (a); quæ manus exiguam præbet opinionem multitudinis incolarum. Quid? Quod dum alio tempore, mutata scena, Regi Daniæ jam memorato suppetias ferret BIRGERUS, invenimus quod quatuor millia militum ipsi submiserit. Non equidem ignoramus, quod numerosæ classes hac tempestate per maria volitaverint, adeo ut trecentæ, quingentæ, inimo mille naves ab unico Scandinaviæ Rege emitte potuerint; sed probabile admodum est, quod hæc naves magnitudinem cymbarum nostrarum vix excesserint: adeo ut ne hæc quidem exempla ad convellendam nostram opinionem multum valeant. Nec magis confundimur, si quis nobis objiciat, quod Sveci frumenta varii generis ad alias gentes hoc ævo emiserint: hoc enim non probat Patriam nostram tunc magis excultam fuisse, quam nostra ætate, sed quod minorem messem consumerent cives, ignorantibus plane usum vini combusti, quod tot frumentorum modios hodie consumit, rarissimus tunc quoque cerevisia & aliorum ejusmodi potulentorum usus, quum incolæ obviis fontibus sitim levarent. Sed nec tranquilla hæc fuerunt tempora & incremento

remento civium promovendo apta. Principes enim de summa imperii inter se acriter disceptarunt, frater fratrem de solio dejicere non dubitavit, pro imperio obtinendo omnia sibi licita existimans. Hinc non solum cives in mutua armabantur viscera, sed ab exteris quoque terris copias, faces afflictæ Patriæ & instrumenta sua vel gloriae vel vindictæ futuras contraxerunt malevoli. Aderant impotentes Pontificum Romanorum filii, qui quum bellorum incendia extingvere potuissent, eadem potius sufflamminarunt, atrocia quævis delicta pro re nata facile condonantes, dum suis velificari possent commodis. In tanto animorum fervore securitas ne quidem in aris, quas sanctas credidit omnis ætas, impetrari potuit. Sed & aliud occurrit argumentum pro stabilienda nostrâ opinione. Scilicet circa initium Sæculi XIII horridæ per Patriam fuerunt sylvæ, ubi nunc densissimi & gratissimi conspicuntur vici. Sic tractus ille Westro-Gothiæ, qui *Fablebygden* dicitur, incultam & horridam monstrabat faciem (b), ubi plures nunc occurrunt villæ, quam proceræ arbores. Sed dicat forte quispiam, quod exempla exemplis opponi queant. Sic memoria produnt annales, quod Wisby, Gothlandiæ acropolis, sub imperio Regis MAGNI LADULAS ad tantum potentiarum culmen adscenderit, ut in ipsa reperiatur duodecim millia mercatorum & civium opulentiorum, non computatis uxoribus & liberis (c). At frequentissima hæc urbs quantilla inquiunt nostro ævo? Habent equidem urbes suas vicissitudines: crescunt, florescunt, decrescent & tandem concidunt; in quam fati servitutem, ut loquitur SENECA (d), Wisbyam venisse, mirum non est. Enimvero numerus oppidanorum jam allato minor fuisse videtur; cuius suspicionis hanc accipias rationem. Sub Rege modo memorato exortum fuit certamen inter Wisbyenses & ruricolas de territorii urbis

bis limitibus, & tandem inter utrosque grave exstigit prælium, in quo Rustici ingentem acceperunt cladem. Ægerrime, ceu par fuit, hanc insolentiam tulit Rex Svetiæ; quare, copiis contractis, Wisbyam contendit; sed motus precibus Consulum & senatorum, qui ipsi supplices occurrebant, multam solummodo oppidanis imposuit, at quantam, quæso? Universi intra anni spatium solverent 5000 thaleros Argent. hoc est singuli circiter thaleros, posito civium numero 12000. Sed quis crederet, hanc pœnam delicto fuisse proportionalem. Addo, quod quum tota Gothlandia tributi loco solverit Regi Svetiæ tunc ad summum 3000 thaleros Argent. (e); posito quod quilibet oppidanus Wisbyensis solvisset 8 oras arg. quod certe minimum est vestigal, Rustici & ceteri incolæ nihil pependissent. At quum haec nuptiæ cohærere non videantur, præsumere licet, numerum oppidanorum justo majorem annalibus irrepisse. Tacemus jam famem & morbos contagiosos sub hac Dynastia saepius adflicuisse Patriam nostram, & multa hominum millia absumisse. Imprimis notari meretur gravis morbus, *Sudor Anglicus* dictus, cuius tanta fuit rabies, ut tertiam partem incolarum Svetiæ brevissimo tempore oppresserit (f). Immo post quinque lustra pestis alia longe vehementior, *Digerdöden* nuncupata, ultra duas tertias civium prostravit; post quantas strages, quæ non facile reparantur, Svetiam civium inopia tam hoc, quam sequentibus seculis laborasse, necesse est (g). Id quod tanto certius constat, siquidem dum exercitus Danorum haud ita multo post irruptionem in Smålandiam fecisset, & territorium *Verendie* horrendum in modum vastaret, feminæ hujus Provinciæ, interea dum mariti castra Regis Svetiæ catervatim sequerentur, gladio & sagittis, more veterum Amazonum, sese accinxerunt, truculentis hostibus obviam iverunt, eosdemque superatos extra Patriæ fines ejecerunt.

(a) Vid.

- (a) Vid. DALINI *Histor. Pat.* Tom. II. p. 285, not t. (b) Vid. DALINI *Libr. cit.* (c) Vid. WALLINI *Gothl. Sam.* p. 225. (d) Vid. *Quæst. Natural. Libr. I. Cap. 6.* (e) Vid. DALINI *Histor. cit.* p. 289. not. b. (f) Vid. DALINI *Hist. cit.* p. 393. (g) Vid. DALINI *Hist. p. 497.*

§. XVI.

Devenimus jam ad periodum, qua si Historicis quibusdam fidem habeamus, Patria nostra fuit civibus locupletissima; id quod contigisse adserunt sub Dynastia Germanica & Danica. Sed sicut in rebus tanti momenti per gradus probabilitatis ad certitudinis culmen ascendere debemus, nec nostrum est in cuiuspiam Magistri verba jurare; ita primum dispiciemus, qualis Svethiæ fuerit conditio ista tempestate, & an ipsa incremento civium faverit vel minus. Novum tunc introductum fuit regnorum Svethiæ, Daniae & Norvegiae Systema, quo horum vires specie confirmarentur, reipsa autem ita libabantur, ut Danicæ potestati tandem succumberent. Et sicut Sveci Danis palmam principatus dubiam reddere potuerunt; ita hi illos quam infirmissimos esse voluerunt. Peregrini, qui ad nostras tunc cattervatim accedebant oras & amplissimis præficiebantur muneribus, ut nullo Svethiæ amore tenebantur, ita quoque incolas, quoties occasio ferret, vexabant & tantum non opprimebant. Novimus quidem, arbores ventorum cerebra agitatione robustiores fieri, verum an continuis bellorum civilium turbinibus populosiores fiant regiones, nuspian in annales relatum legimus. Quin potius adserit Cardinalis OSSATUS; *Que la France a enduré plus de maux en un seul jour de guerre civile, qu'elle n'en fçeut & ne sauroit avoir fait en cent ans de guerre étrangere* (a). Attamen de ERICO POMERANO perhibent nonnulli, quod ex Svethia, Dania, & Norvegia contraxerit An. 1417 exercitum 100000 militum, Holsatos, quos inter-

necino prosequebatur odio, ita oppressurus (b). Sed dubia evadit hujus multitudinis fama, si modo cogitemus, quod dum Holsatiae Comes HENRICUS ab Hamburgensibus quasdam copias impetrasset, vastam illam hominum, ex Scandinavia excitorum, nubem adeo facile dissipaverit, ut ERICUS rebus infectis domum reverti coactus fuerit. Comperimus equidem, Svetiæ Thrafybulum, ENGELBERTUM, 100000 hominibus in expeditione, qua Patriæ oppressores ejicere moliebatur, fuisse stipatum (c); Sed tot pediseges non admodum miramus, probe gnari, Majores nostros ad incitas istæ tempestate adeo fuisse redactos, ut nullam sperare potuerint salutem, nisi sub umbraculo signorum fortissimi huius Ducus: in animum tamen nemo inducere potest, hos omnes fuisse lectos milites; præsertim quum constet, quod imperterritus hic Heros paullo post contra 10 naves, quas ad Svetiæ littora appulit ERICUS POMERANUS, universam juventutem Sveticam ad arma capessenda commoverit. Enimvero sub imperio Svetiæ Regis CAROLI, CANUTI Filii, memorabile occurrit factum, quod totum, de quo controvertitur, negotium plane confidere videtur. Scilicet dum Daniæ Rex CHRISTIANUS I. Svetiæ Regem modo memoratum de folio dejicere moliebatur, memoriae produnt annales, quod CAROLUS, imminentem calamitatem averruncaturus, jusserit, ut septem Rustici octavum quenavis in militiam emitterent, debitisque armis, quæ enumerantur, munirent; quo edicto impetrasse legitur exercitum 60000 virorum (d). Computatione igitur facta colligere licet in Patria nostra tunc fuisse 480000 portiones viriles (Svet. Mantal).; non computatis vel prædiis Clericorum, quorum ingens tum fuit multitudo, vel Scaniæ Hallandiaæ & Blekingiaæ incolis, qui Regi Daniæ tunc paruerunt, & quæ provinciæ sextam ad minimum par-

tem

tem totius imperii Svio-Gothici constituant, adeoque
 80000 port. viril.; quibus si addantur 480000, erit nu-
 merus port. viril. per Patriam tempore CAROLI 560000
 Familiae & ultra. Nostro autem anno inveniuntur tan-
 tum 288428 circiter Familiae (*Hushåll*). Ergo si allata
 facta fuerint sincera, concludere licet, Svetiam arte
 trecentos annos duplo populosorem fuisse, quam nostra
 ætate. Quis contra veritatem adeo manifestam hiscere
 auderet? Enimvero quamvis nodum in scirpo non qua-
 ramus, quamvis etiam gloriam Patriæ, quantum animo
 & viribus conniti possumus, promotam velimus, atta-
 men dubia nonnulla, quæ attento cuivis Lectori sponte
 sua obveniunt, in medium proferemus. 1:o Male nos
 habet, quod sub tota hac Dynastia simile nullum occur-
 rat factum, ex quo parem civium numerum colligere
 liceat, quamvis Patria æque in angustiis fierit constituta.
 2:o Edictum CAROLI concernit eas tantum regiones,
 ex quibus AKE JANSSON tributa nautica colligebat (e);
 an vero ad totam Svetiam sese extenderit, nullo con-
 stat documento. 3:o Quum non solum Clerus, sed ple-
 rique ex Equestri ordine fortunam Regis CAROLI lippis
 intuerentur oculis; probabile est, ipsos molimina Regis
 intervertisse, adeoque Historicos majorem chartis de-
 scripsisse numerum, quam Rex in aciem produxerit: Si
 quidem in nulla fere re sibi minus content Scriptores,
 quam in numero militum definiendo. 4:o Adserunt qui-
 dem recentiores Historici, exercitum Sveticum fuisse
 60000 militum, sed cuius fide nitantur, relatum non vi-
 dimus. 5:o Dum Reges Svetiae paullo ante viros o-
 mnes (*Man af buse*) cogebant, raro majorem exercitum,
 quam 10000 colligere potuerunt; qui itaque factum, ut
 idem nunc major, cum delectus habebatur, & minus
 periculum civibus immineret. 6:o Si demus unicum
 zero esse superfluum vel incuria Scriptorum irrepsisse,
 adeo-

adeoque pro 60000 legendum 6000, numerus Familiarum
 hac tempestate fuit 56000, & calculus in ista tempora egre-
 gie quadrabit. 7:o Notari meretur, quod CAROLUS inge-
 nti illa multitudine ne expugnare quidem potuerit villam
 Episcopalem Lundensem, sed infectis rebus domum rever-
 ti coactus fuerit. 8:o Quod per Bondones, sit venia verbo
 Barbaro, in edicto allato intelligentur solum Rustici, qui
 villas possiderent, nondum est evictum, quin potius ex
 constitutionibus ejus ætatis constet, quod Reges nostri
 hoc titulo salutaverint cives suos. 9:o Si perpendamus
 partim quod per morbos contagiosos magna civium pars
 interierit, qui certe instar fungorum non succrescunt,
 partim quod tantæ opulen*ia* nulla postmodum occurrant
 vestigia, siquidem aliquot millia militum satis grandem
 constituerunt exercitum; verisimile est, numerum supra
 allatum justo majorem esse. Sed dicat forte quispiam,
 quod vestigia desolatarum urbium & villarum in sylvis no-
 stris aliisque locis passim occurrant. Non hoc diffitemur,
 sed præterquam quod hæc rudera sint admodum
 rara, nemo ignorat, tum quod homines variis de causis
 sedes mutare soleant, tum quod in harum locum multæ aliæ
 extiterint, quæ istam vastitatem plus satis compensant.
 Quæ omnia si in summam computentur, minime conclu-
 dere licet, Syethiam sub memorata Dynastia populosissi-
 mam fuisse. Quæ in egregio hoc argumento adhuc expli-
 canda supersunt, aliis, quibus major ingenii acies, major
 rerum præteriorum & præsentium experientia, majus otium
 & denique ampliores facultates contigerunt, relinquimus,
 satis felices nos prædicantes, si allata momenta singulis Le-
 ctoribus non displiceant. Faxit vero DEus O. M. ut Patria
 carissima ingenuis civibus continuo crescat.

(e) Vid. *Livr. I. Lett. 4.* (b) Vid. DALINI Hist. T. II. p. 627.
 (c) Vid. *Libr. modo cit. p. 652.* (d) Vid. *Libr. cit. p. 725.* &
 K. S. W. Acad. Handl. för år 1764. p. 100. (e) Vid. DALIN.
Libr. & pag. cit.